

terius'. Notandum est tandem interesse habentes absque legitima causa dissentire non posse, quando unio necessaria est, et proinde a superiore compelli posse ad consentiendum, immo in casu necessitatis evidentis unionem fieri posse etiam, patrono invito.

99. Tertia conditio est ut in genere requiratur consensus Capituli Cathedralis Ecclesiae. Pertinet enim beneficiorum unio ad illam classem negotiorum quae a praelatis fieri nequeunt ex jure absque consensu capituli. Quod jus exprimitur in *c. 7. de Donationibus* et *Clem. 2. de Reb. Eccl. non alien.* Ex qua postrema Constitutione insuper patet non requiri consensum actualis rectoris beneficii; quia ejus juribus praedictum nullum infertur. Incipit enim unio vires habere cum vacaverit beneficium. Praeterea non requiritur in unione perficienda ut defensor juris beneficii vel Ecclesiae constituatur; quia non agitur de vera alienatione jurium. Tandem ad unionem perficiendam requiritur aliqua forma iudicii seu debet praecedere cognitio quaedam causae fierique aliquis processus ad causae legitimitatem ostendendam, quem deinde subsequatur unionis decretum.

De Divisione Beneficiorum.

100. Divisio beneficii tunc fieri dicitur cum ex uno beneficio fiunt duo vel plura. Ex qua notione patet, divisionem seu sectionem beneficii non solum exhibere divisionem reddituum seu fructuum, sed etiam divisionem tituli et officii. Hinc vi divisionis ex uno duo vel plura constituuntur officia vel ministeria. Haec notio traditur in *c. 3. de Ecclesiis aedificandis vel repar.* Divisio beneficiorum in genere est odiosa et prohibita a jure; *c. Majoribus 8. h. t.* immutat enim statum Ecclesiae.

101. Hinc nonnisi ex justa causa divisio facienda est. Causa autem haec dici potest esse unica, si videlicet obligationibus beneficio adnexis ab una persona satisfieri nequeat. Praeter vero causam, requiruntur eadem conditiones et solemnitates, quae ad unionem perficiendam requiruntur. Conf. potest *c. 26. h. t.*

102. Peculiaris mentio facienda est de divisione Ecclesiae Parochialis, de qua sermo est in *c. 4. sess. 21. de Ref.* in Tridentino. In hoc capite duo statuuntur et in utroque conceditur facultas Episcopo procedendi cum potestate etiam Apostolicae Sedis Delegati. Statuitur 1^a. dispositio pro casu populi nimium numerosi; 2^a. pro casu nimiae distantiae fidelium ab Ecclesia Parochiali. —

Quoad primum casum Episcopus cogere debet Parochum ut secum tot assumat sacerdotes, quot necessarii sunt pro utili spirituali regimine parociae et pro cultu divino rite exercendo. Quoad vero 2^{um}. casum renovat Tridentinum dispositionem *c. 3. De Ecclesiis aed.* Videlicet si talis sit locorum distantia, ut fideles praesertim hiemali tempore sine magno incommodo et difficultate non possint ad Ecclesiam accedere et percipere Sacramenta et adesse divinis officiis, potest Episcopus novam parociam instituere, etiam invito rectore seu actuali Parocho. Quare antequam nova parocia instituat, debet Episcopus exquirere consensum antiqui Parochi, qui si irrationabiliter renuerit consensum praestare, eo invito, Episcopus potest ultra procedere. Idem dicatur de aliis interesse habentibus. Sufficiens vero dos pro nova parocia assignanda erit ex fructibus Ecclesiae antiquioris, quae retinet et conservat locum Ecclesiae principalis seu matricis. Quod si redditus Ecclesiae matricis non sufficiant huic scopo, potest Episcopus compellere populum novae parociae ad subministrandam pastori suo congruam sustentationem vel per decimarum solutionem, vel alio modo. Tandem vero animadvertendum est, ut praesentatio novi sacerdotis reservetur illis quibus de jure competebat facultas nominandi rectorem antiquioris parociae. Confer. Fagnanus C. in *c. 3. de Eccl. aed.*

De Dismembratione Beneficiorum.

103. Dismembratio fit cum, remanente titulo beneficii et ministerio eidem proprio, pars fructuum a beneficio secernitur, et applicatur alteri beneficio vel Ecclesiae quae tenues redditus habet. In genere dismembratio est odiosa et a jure prohibita. *capp. 20. 26. et 30. de Praeb. et Rubrica tituli XII.* 'Ut beneficia eccl. diminutione conferantur'. At accedente justa causa, posse dismembrationem ab Episcopo perfici tenent DD. juxta *cap. X. h. t.* Eadem vero solemnitates requiruntur, quae necessariae sunt pro unionibus beneficiorum perficiendis.

TITULUS VI.

De Clerico aegrotante vel debilitato.

1. Clericus aegrotans vel debilitatus in sensu tituli ille est, qui vel ob senium, vel ob infirmitatem habitualement aut permanentem defectum exequi non amplius potest munia sui beneficii, in

quo canonice est institutus. Quare clericus ægrotans distinguitur a clerico ægroto qui nempe aliquo morbo temporaneo afflicto, officium proprium in Ecclesia exequi non potest. De clerico ægroto vidimus supra in titulo *De Clericis non residentibus*.

2. Clericus ægrotans vel debilitatus procul dubio non potest beneficio suo privari *c. 1. h. t.* Nam indecorum esset, et æquitati repugnans, ob ægritudinem expoliare mediis propriæ sustentationis clericum, qui Ecclesiæ præstitit servitium. Afflictis enim non est addenda afflictio *c. 5. h. t.* Cæterum Ecclesia consuevit clerico legitime impedito ex qualibet infirmitate fructus beneficii concedere prout vidimus supra in titulo *De Clericis non resid.*

3. Doctores autem tradunt clerico impedito fructus beneficii competere etiamsi ex propria culpa infirmitatem contraxerit. Nam in *cap. un. de Cler. non resid. in 6.* traditur, ipsam indistincte infirmitatem excusare a servitio chori. Concordat can. *Cum percussio. caus. 7. q. 1.* Fagnanus autem ad *c. licet. De præb. n. 147.* refert resolutionem S. Congr. Conc. a Gregorio XIII. probatam, quæ expositam sententiam doctorum confirmat.

4. Ut vero consulatur honori cultus divini, lex canonica in *c. 3. h. t.* insinuat designationem alterius clerici coadjutoris, qui ingrediatur locum clerici inhabilis in persolvendis divinis officiis. Caput hoc tertium refertur ad clericum, qui curam habet animarum, et statuit coadjutori dandam esse ex facultatibus Ecclesiæ congruam sustentationem. Verum parochus ægrotans non potest compelli adtribuendum stipendium coadjutori, quoties salva eidem non maneant alimenta necessaria. Ita respondit S. Congreg. Concilii in causa *Albinganensi Parochial. 1. Sept. 1663. (lib. Decret. 25. p. 594.)* Hoc in casu Episcopus cogere poterit parochianos ut consulant sustentationi clerici coadjutoris, ceu tenuit S. Congr. in *Novariensi et Cremonensi (lib. 3. Decret. pag. 35. et 40.)*

5. Coadjutoria aliæ sunt temporaneæ aliæ perpetuæ cum futura successione. Coadjutoria temporaneæ, quæ etiam revocabiles appellantur, illæ sunt quæ dantur intuitu solius personæ quæ beneficium possidet, et onera beneficii exequi non potest. Unde coadjutor nullum titulum habet in beneficio, et per consequens a munere suo cessat, sive quoties a superiore revocetur, sive quoties et quandocumque coadjutus beneficium amittat.

6. Coadjutoria autem perpetuæ, quæ etiam irrevocabiles dicuntur, sunt eæ, quæ dantur quidem ob ægritudinem vel debili-

tatem Clerici beneficiati, sed directe respiciunt ipsum beneficium. Scilicet coadjutoria perpetua est vera collatio beneficii, quæ tamen plenum effectum sortitur quando actualis possessor a beneficio quomodocumque cessat, sive nempe per mortem, sive per privationem, sive per ejus promotionem ad aliud beneficium incompatibile. Quare coadjutor perpetuus statim obtinet titulum beneficii cujus onera statim suscipit, et adimplere tenetur, tamen non fit proprietarius beneficii ipsius antequam illud vacet. Adveniente autem vacatione beneficii, non requiritur nova collatio sed coadjutor eo ipso et vi primitivæ concessionis fit beneficii proprietarius.

7. Coadjutoria temporaneæ in Episcopatibus et reliquis Prælaturis superioribus dantur ab Apostolica Sede vel vi auctoritatis ab eadem delegatæ. Unde inter causas majores recensentur. Ita in *cap. un. h. t. in 6°.* Porro licet in hac decretali pro aliquibus casibus ipsi Episcopo cum Capitulo delegetur potestas unum vel plures constituendi coadjutores temporaneos eidem Episcopo impedito; tamen hodie in praxi inductum est, ut ipsa S. Sedes directe et motu proprio regimini dioceseos consulat, quando Episcopus impar factus sit sui muneris adimplendi.

8. Si sermo sit de beneficiis minoribus, licet absolute loquendo coadjutoria temporaneæ possent ab ordinariis collatoribus in omnibus beneficiis constitui, quoties clericus beneficii possessor ob senium, ægritudinem, vel ob aliud impedimentum nequeat onera sustinere, tamen in facto est, coadjutores temporaneos solummodo dari in beneficiis parochialibus, non autem in reliquis beneficiis quibus cura animarum adnexa non est.

9. Coadjutoria perpetuæ juxta conceptum supra expositum constituunt concessionem beneficiorum nondum vacantium. Quapropter, quoniam a jure communi vetitum est, ne ordinarii collatores de beneficiis non vacantibus disponant *cap. 2. de concess. Præb.*; hinc nullus prælatus summo Pontifice inferior concedere potest coadjutorias cum futura successione. In specie autem habemus tridentinam legem in *sess. 25. cap. 7.* quæ coadjutorias hujusmodi expresse prohibet. Unde solus Romanus Pontifex, cujus potestas est supra jus commune, easdem potest conferre.

10. Porro coadjutoria perpetuæ in beneficiis minoribus non curatis ita solent a S. Sede concedi, ut coadjutor teneatur loco coadjuti onera sustinere quin tamen jus habeat, durante coadjutoria, fructus beneficii percipiendi. Fructus autem omnes, et distri-

butiones quotidianæ reservantur clerico possessori idest coadjuto, ut etiam resolvit S. Congregatio Concilii in causa *Romana diei 19. Augusti 1730.* Ratio hæc esse videtur: quia coadjutus præsumitur fructibus indigere ad honestam suam sustentationem, nec æquum videtur, Clerico media sustentationis subtrahenda etiam ex parte esse eo præcipue tempore quo ob infirmitatem vel ob senectutem majori defectu laborat et potioribus premitur necessitatibus.

11. Si autem sermo sit de coadjutoribus sive temporaneis sive perpetuis in beneficiis parochialibus, juxta sensum *cap. 3. h. t. et cap. 6. sess. 20. de Ref. in Tridentino,* Episcopus debet vel de fructibus beneficii vel aliunde eisdem consulere, ut habeant congruam sustentationem.

12. Relate vero ad coadjutores perpetuos canonicorum, hæc sunt in specie animadvertenda: 1°. Coadjutum canonicum non eximi a residentia lege, immo ipsum coadjutum respondere debere coram Capitulo de servitio chori, et punctaturas solvere ob negligentiam coadjutoris. Ratio est, quia titulus beneficii quoad præsens tempus totus et integer in suis juribus et oneribus perseverat in coadjuto, cujus persona in sacris officiis repræsentatur a coadjutore. Conf. Benedictus XIV. *De Syn. lib. XIII. c. 9. n. 13.* — 2°. Coadjutorem vero teneri ad præstandum servitium chorale, ita ut si ex ejus negligentia damnum patiat coadjutus, ipse coadjutor teneatur hoc damnum compensare. Ita S. Congregatio Concilii in causa *Romana diei 22. Febr. 1862. et 12. Augusti 1871.* — 3°. Quoad jus sedis regulam receptam esse, ut coadjutor sedeat in ultimo loco inter illos qui sunt in eodem gradu cum persona coadjuti, præcedat vero reliquos, qui sunt gradus inferioris. Unde si in capitulo adsint plures dignitates, coadjutor datus uni ex dignitatibus sedem obtinet post ultimam dignitatem et ante reliquos canonicos. Sic etiam coadjutor canonici sedet post omnes canonicos et ante beneficiatos. — 4°. Quoad jus vocis activæ et passivæ canonici coadjutoris in capitulo, præstat referre resolutionem S. Congregationis Concilii in *Novariensi diei 20. Maji 1649* hisce verbis conceptam: S. Congregatio censuit, canonicos coadjutores, etiam coadjutis absentibus non posse capitulis interesse, nec in illis vocem dare nec officium nuncupatum *auriano della chiesa* exercere, nisi ista in litteris apostolicis coadjutoriaè explicite exprimantur, et expresse concessa ibidem legantur. (*Rel. LII. 109.*)

Hæc resolutio informatur principio quod regit relationes inter coadjutum et coadjutorem, videlicet coadjutus continuat esse verus beneficiatus, unde sua jura conservat et potest per seipsum suas obligationes supplere; coadjutor vero tenet locum et supplet defectum coadjuti. Unde coadjutor rigore juris nec vocem habet in capitulo, nec officia quæ canonicis adsignantur, competere possunt coadjutoribus. Talia sunt officia Camerarii, Secretarii etc.

13. At hæc omnia competere possunt coadjutoribus, si de iis in litteris Apostolicis coadjutoriaè expresse caveatur, ceu traditur in cit. resolutione, necnon si constitutiones capitulares id permittant, vel etiam si laudabilis consuetudo legitime præscripta coadjutoribus assistat. Notamus vero ab uno saltem ex hisce capitibus usum in aliquibus capitulis procedere, ut in praxi canonicus coadjutor, absente coadjuto, facile admittatur ad suffragium edendum in capitulo.

TITULUS VII.

De Institutionibus.

1. Institutio si in genere et lato sensu sumatur, quemcumque modum provisionis beneficiorum exprimit. Semper enim in beneficio institutus clericus dicitur, quicumque fuerit modus legitimus quo beneficium assecutus est. Hinc in *reg. 1. Jur. in 6°.* dicitur: 'Beneficium ecclesiasticum non potest licite absque institutione canonica obtineri'.

2. Stricto autem sensu sumpta institutio sumitur ad differentiam sive liberæ collationis, sive etiam confirmationis, quæ electioni conceditur. Hoc in sensu institutio definitur 'Concessio Ecclesie vel Beneficii vacantis auctoritate legitimi superioris facta ad nominationem seu præsentationem patroni'.

3. Institutio dividitur trifariam ut alia sit *tituli collativa*, alia sit *auctorizabilis*, alia vero *realis* seu *corporalis*. Prima institutio nihil aliud est nisi actus seu decretum superioris, quo titulus beneficii confertur clerico idoneo a patrono præsentato. Huic institutioni undequaque competit data definitio.

4. Auctorizabilis institutio, quæ etiam dicitur approbatio, locum habet cum Superior clericum præsentatum instituit in beneficio curam animarum habente, et concedit simul eidem jurisdictionem in populum. Rigore juris in beneficiis curatis potest institutio